



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De vitandis excommunicatis, & de non accipienda oblatione ab eis: & de
excommunicatione non vitandis excommunicatum. Capvt XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

cundam , & debet retinere * primam . idem iudicium est de laicis.

* Non concedit hic Canon , vt sacerdos secunda electa , retineat primam ad utendum ; sed iubet vt retineat , ne praetextu religionis eiiciat : iam enim antegressus est Canon de cælibatu sacri ordinis , capite 4.

De nomine arcendo a sacra communione , nisi ratione pœnitentiae.

CAPVT XXV.

Nullus sacerdos ullum fidelem a communione sacra arceat , neque propter odium , neque propter aliam causam quamcumque mundanam : & qui hoc commiserit , deponatur , & excommunicetur , quia usurpauit hanc potestatem tamquam dominans .

Pertinet hic Canon ad Canonem apost. 25. de repellente pœnitentem.

De sponsione & testimonio in causa criminis dicendo , clericō prohibitis.

CAPVT XXVI.

Nullus clericus pro aliquo spondeat , neque testimonium contra ullum in causa criminali dicat , nec eam ad regem deferat ; nec ad ea se ingerat , quæ ad alios pertinent ; neque seminet dissidia inter fideles : & qui hoc commiserit , eiiciatur ex gradu , & prohibeatur communione fidelium .

De vitandis excommunicatis , & de non accipienda oblatione ab eis : & de excommunicatione non vitantis excommunicatum.

CAPVT XXVII.

Quicumque fuerit a sacerdote ligatus , quamvis calumniam passus sit , non est ab eo accipienda oblatio

ANNO
CHRISTI
325. latio , nec vlla alia res , quam ad ecclesiam afferat : nec vllus fidelium debet cum eo prandere , nec in domum eius ingredi , nec eum in domum suam recipere , priusquam sit ab excommunicatione absolutus : & qui hoc non seruauerit , parui faciens excommunicationem , & fidem contemnens , oportet eum quoque excommunicare , quia fuit particeps & consentiens .

cum ex-
com. Tur.
2. cap. 8.
De non ac-
cipienda
oblatione
ab excom.
est apostoli-
ca conf.
lib. 3. Clem.
cap. 8.
Qui excom-
municatio-
nem parui
facit , fidem
contemnit .

*De ira , indignatione , odio , fugiendis sacerdoti , & ei potissimum ,
qui potestatem habet excommunicandi .*

CAPVT XXVIII.

Non erit presbyter vlo modo malevolus , aut velox ad iram , aut ad offensionem , præsertim episcopus , aut aliis , qui potestatem habeat excommunicandi , vt non omni tempore excommunicet , & liget . Et si quis talis extiterit , debet hæc auferre ; neesseque est , vt sit moderatus , & deponat odium , & non exerceat semper excommunicationem . Quod si non paruerit , deponatur ; siquidem ira , malevolentia , indignatio , & clamor , opera dæmonis sunt ; neque conuenit , vt sit in sacerdote aliquid ex vitiis diabolicis ; sed potius , vt sit mundus ab omnibus vitiis & maculis , sicut * scriptum est .

* Hoc dicit , quia scriptum est in Leuit . c. 21. vt qui eligendus est ad sacerdotium , careat omni macula : quod quidem in spiritu significabat , vt careret omni vicio , & peccato graui . vnde apostolica constit . lib . 2. cap . 3. exploretur , inquit , qui eligendus est episcopus , an careat omni macula in iis quæ pertinent ad usus vitæ : Scriptum est enim , inquit , inspicite maculas eius qui eligendus est ad sacerdotium . Hinc beatus Gregorius scribens de eligendo episcopo ecclesiæ Ariminensis , 7. quæst . 1. cap . qualiter , iubet eligere diligenti examinatione adhibita : Si in eo , inquit , quæ in textu heptateuchi continentur , non fuerint reperta , id est , si caruerit mortali bus peccatis , quæ per maculas in Leuit . notatas significantur . Hæc idem Gregorius clarius expressit in epist . ad Pasinum episcopum de

Concil. Tom. 2.

L1